

tur, quod relatio in aliqua prioritate afficit subjectum, vel in se redditur subsistens, si subjectum non habet, quam attingat terminum ut quod, et in exercitio, quia hoc exercitium dependet ex esse quod habet in subjecto. Et tertio sequitur quod entitas relativa ut afficiens subjectum, vel subsistens in se jam est entitas incompossibilis cum suo termino, et distincta ab illo entitative, licet nondum exerceat respectum, et oppositionem ut quod in attingendo terminum, quia jam entitas illa est vera entitas relativa, quæ exercere petit illum respectum: ergo jam est entitas incompossibilis termino. Et hoc est distinguere relationem ut conceptam et ut exercitam, ut informantem subjectum, vel ut attingentem terminum, non quod relatio ut concepta præscindat a termino ut quo, sed præscindat ab attingentia, et exercitio attingendi terminum ut quod, et rursus in entitate sua, ut informat subjectum, etiam habet terminum ut exclusum a se, et incompossibilem sibi, non ut attactum per tendentiam ad terminum exercite, et ut quod; et sic esse relationis est actu respicere, et non in potentia, id est, respicere ut quo, non ut quod. Et quando consideratur ut quo, nondum respicit exercite, sed constituitur ut exerceat.

XLIV. Secunda consequentia solvitur dicendo, quod paternitas, ut relatio supponit generationem, si ly ut relatio dicat exercitium respiciendi ut quod, et attingendi terminum: si autem ly ut relatio dicat entitatem relationis, ut subsistentem in se, et informantem subjectum in esse reali, sic non supponit generationem, sed præcedit, quia cum subsistens sit, non supponit fundamentum ad existendum, sed ad respiciendum.

XLV. Ad tertiam consequentiam,

dicitur quod tota incommunicabilitas, et oppositio invenitur entitative in relatione ut concepta, et ex parte subjecti se tenente; incommunicabilitas autem, et oppositio, ut exercita, et per modum tendentiæ ut quod ad terminum invenitur in relatione ut exercita. Nam etiam ipsa entitas relativa, ut entitative concepta, et ex parte subjecti opposita est, et incompossibilis cum termino entitative, et ut quo, et sic informat subjectum vel subsistit ut opposita entitative suo termino: unde negamus quod relatio ut concepta se habeat per modum absoluti entitative, quia vere entitas relativa est, licet nondum intelligatur ut exercite tendens per modum quod ad suum terminum: et quantum ad hoc ad instar absoluti se habet.

XLVI. Ad quartam nego antecedens. Et ad probationem dicitur, verum esse quod prius est formam constitui, quam afficere subjectum: sed negamus quod constitutio formæ relativæ sit per ipsum respicere exercite terminum per modum attingentis, et respicientis illum ut quod, sed ejus constitutio est esse formam respicientem ut quo. Et tunc jam excludit in se, et incompossibilis est termino, licet nondum illum exercite attingat. Unde sequitur quod prius debeat afficere subjectum, vel si non habet subjectum subsistere in se, quam exercere respectum per modum quod ad terminum: sicut albedo prius est disgregativa visus ut quo, quam afficiat subjectum, sed non prius disgregat exercite et ut quod, et deinde afficit subjectum, sed e contra.

XLVII. Postremo, in hac difficultate advertendum est, quod cum dicimus Personas constitui per relationes, tamquam per formas, hoc nihil obstare simplicitati divinæ, quasi ipsum constitutum sit com-

positum, aut minus simplex, si qui dem resolvitur in extrema constituentia, ut in aliquid simplicius: ex alia autem parte relatio includit in se essentiam cum respectu, hoc autem, et nihil amplius dicit Persona, scilicet naturam cum respectu; ergo idem formaliter important constituens, et constitutum.

Sed respondetur facile ad priorem partem, quod non distinguimus constituens, et constitutum ex parte rei significatæ, quasi unum sit ut pars, aliud ut totum, sed ex parte modi significandi, quatenus unum explicatur per modum formæ, aliud per modum totius, seu concreti, licet ex parte ipsius rei tantum includat unum quod alterum, sed non eodem modo, quia diverso modo explicatur unum atque aliud; sicut diversa attributa explicant diversas rationes in Deo, et non totam eminentiam perfectionis ejus, licet eadem res includatur in una atque in altera. Et ad posteriorem partem dicitur, quod relatio significat essentiam, et respectum identice, formaliter autem solum respectum, quia hic est formaliter significatus nomine relationis. Persona autem significat formaliter, et non solum identice naturam, quia significat primam substantiam, seu individuum naturæ rationalis, et ex ipsa natura, et termino subsistentiæ ejus intelligitur resultare.

XLVIII. Denique, licet origo videatur significare actum secundum relationis, et sic habeat se ut actualissimum, seu actualitas secunda in genere notionali, quod videtur esse aptius ad constituendam Personam, sicut intelligere, quod est actus secundus, constituit naturam intellectualem in actu puro, tamen origo significatur ut mera productio, et via ad terminum: intelligere vero non significatur ut productio, sed ut actus immanens ultimus in

actualitate intelligibili, ideoque est aptum ad constituendum naturam in ultima actualitate purificatam, origo vero non constituit Personam, quæ solum in facto esse, et per modum per se stantis designatur, non per modum viæ.

ARTICULUS II.

Quo modo ratio voluntarii inveniatur in actibus notionalibus?

I. Resolutio D. Thomæ in hac quæstione xli, art. ii est quod actus notionales, seu ad intra possunt esse voluntarii voluntate comitante ipsos, non tamen voluntate ut principio illorum: quod etiam verificari docet in processione Spiritus sancti, quia licet Spiritus sanctus procedat per voluntatem, non tamen ut voluntarie libere, sed ut voluntarie necessario, seu naturaliter vult, si quidem omnes actus notionales necessarii sunt, cum per illos procedant Personæ quæ necessario existunt in Deo, et non existunt nisi procedendo. Sensus ergo D. Thomæ est quod actus notionales possunt esse objectum volitum a Deo voluntate qua seipsum, et omnia quæ intra se sunt diligit: sic enim Personæ ipsæ dilectæ sunt a Deo, et consequenter processionem seu origines. Et cum circa omnem processionem inveniatur ista voluntas, quia quælibet processio complacet Deo, et est objectum diligibile, consequenter ponenda est voluntas concomitans in actibus notionalibus, id est, complacentia circa illos, tamquam circa objecta diligibilia, quia perfectiones sunt, et realitates intra Deum: non tamen possunt actus notionales esse a voluntate libera tamquam a principio in hoc sensu quod procedant ex motione, et imperio voluntatis, vel per liberam elicientiam ejus: hoc

enim est procedere a voluntate ut distinguitur contra procedere naturaliter, seu per naturam.

Ex quo sequitur quod actus voluntatis, seu amoris, quo procedit Spiritus sanctus non potest esse voluntarius objective respectu alterius actus, qui in nostra consideratione sit prior, sed solum potest esse objectum volitum respectu sui.

II. Ratio est, quia processio Spiritus sancti est primus actus voluntatis, cum sit actus necessarius, et naturalissimus, et consequenter primus in voluntate: actus autem notionalis quo generatur Filius a Patre potest esse objectum volitum ab alio actu distincto a se, scilicet ab actu voluntatis comitante vel subsequente, quia cum generatio sit actus intellectus, jam ex hoc habet esse distinctus actus ab actu voluntatis quo est volitus. Et sic distincto actu a se potest esse volitus tamquam objectum.

Duo tamen possunt breviter controverti.

III. Primum est, an voluntas ista concomitans qua complacet generatio Filii aliquo modo præcesserit ipsum actum notionalem generationis, ita quod Pater prius voluerit generare, seu complacuerit sibi generatio, quam generet in exercitio: vel saltem si Patri non conveniat notionaliter velle generationem antequam notionaliter intelligat, quod est ipsum generare; saltem huic Deo, in quantum communis est tribus Personis, conveniat voluntas generandi, et complacentia de ipsa generatione antequam Pater intelligatur generare Filium.

Ratio dubitandi est, quia ex una parte videtur, quod voluntas, et complacentia generationis debeat præcedere: tum quia hæc voluntas est essentialis amor: est enim communis tribus Personis: ergo

præcedit actus notionales, quia essentialia, et absoluta nostro modo intelligendi præcedunt notionalia: ille autem amor essentialis pro illa prioritate consideratus complectitur pro objecto totum quod in Deo est, etiam Personas: quia amor essentialis in Deo regulatur per cognitionem essentialem; cognitio autem essentialis etiam pro illo signo ante actus notionales cognoscit non solum essentiam, sed etiam Personas, quia est cognitio comprehensiva Dei, et beata, quæ essentialiter petit cognitionem Personarum: ergo et amor essentialis, qui necessario consequitur ad talem cognitionem pro illo signo fertur in omnes Personas, et processiones earum, quia totum hoc pertinet ad intra Deum: nec requiritur ad amorem Personarum quod supponat illas productas in re, sed sufficit quod præsupponat illas objective cognititas, et pro alio posteriori productas; tum etiam quia Pater æternus generando Verbum communicat illi voluntatem, et omnia quæ ad voluntatem pertinent, scilicet ipsum actum amoris, et attributa voluntatis, quæ sunt virtutes, ut justitia, misericordia, etc. ergo prius intelligitur habere actum voluntatis quam generare Filium, si quidem per generationem ipsum amorem ei communicat, id est, voluntatem in actu secundo. Iste autem amor circa aliqua objecta versatur, et non circa solam essentiam, sed etiam circa Personas quæ entitative sunt identificatæ ipsi essentiæ.

IV. Ex alia parte videtur non posse ullo modo præcedere voluntatem istam actum notionalem generandi, quia voluntas non potest antecedere cognitionem, sed cognitio voluntatem: sed hoc ipso quod intelligitur cognitio in Deo, præsertim in Patre, seu in prima Persona, statim intelligitur expressio, seu generatio Ver-

bi, quia est ipsemet actus intelligendi, prout in Patre: et posito actu intellectus cum plena, et infinita cognitione in Patre antecedenter ad omnem actum voluntatis, qui consequitur ad intellectionem, non stat quia ponatur ipsa processio Verbi: ergo in Patre non antecedit voluntas generandi ipsam generationem, sed generatio ita præcedit voluntatem, sicut cognitio, quia generatio cognitio est. Aliæ autem Personæ non habent voluntatem generandi, quia ipsæ non possunt generare: ergo neque volunt.

Confirmatur, quia voluntatis actus in Deo non est prior origine, quam Filius, vel quam generatio Filii: ergo non potest etiam nostro modo intelligendi illum præcedere. Consequentia constat, quia non præcedit originem vel Personam, nisi id quod est prius origine in divinis, quod autem prius origine non est, non conducit ad illud, nec fundare potest præcedentiam. Antecedens vero probatur, quia Deus non potest voluntate sua tendere in Filium et Spiritum sanctum, ut possibles, vel futuros, sed solum ut determinate existentes: ergo non potest voluntas habere prioritatem originis erga ipsos, sed solum ut præsentem, et coexistentem respicere potest, quod est concomitanter se habere, vel subsequenter ad tales actus, non antecedenter, et sub aliqua prioritate.

V. Circa hoc punctum valde divisi sunt theologi, ut videri potest apud m. Bagnez hic quæstione xli, art. ii, dubio i; Suarez lib. vi de Trinitate, cap. iii et iv Vasquez disp. clx, cap. iii et iv; Navarrete hic controvers. xxxiv; Ruiz disp. xciii, sect. i et ii. Summa sententiarum est, quod aliqui sentiunt Patrem in illo priori originis sicut habet scientiam, et intelligentiam perfectam sui, et omnium Personarum, ita et amorem, et consequenter velle ea-

rum processiones: ita quod attingat ipsas Personas procedentes, etsi non ut jam productus actus; tamen quasi producendas, seu quasi futuras. Qui actus amoris invenitur in ipso Patre in illa prioritate originis, antequam intelligatur generare Filium et a fortiori invenitur in hoc Deo absoluto ut communi toti Trinitati. Quam sententiam tenet Cajetanus in hac quæstione xli, art. ii et ibi citat Scotum in i, dist. vi, quæst. i. Et eandem sententiam sequitur Nazarius ibi et alii. Et quando D. Thomas dicit voluntate concomitanti solum illos actus notionales esse voluntarios, non autem voluntate antecedenti, seu ut principio, intelligit Cajetanus voluntatem comitantem esse illam, quæ respicit actus notionales, ut objecta volita, etiamsi inveniatur in illo priori originis, quo Pater generat. Voluntatem autem præcedentem, seu per modum principii intelligit voluntatem ut causam; quo etiam sensu loquitur qu. x de potentia, art. iii. Qua etiam ratione multi patres negant Filii generationem esse ex voluntate, aut quia voluit Pater, sicut Sanctus Cyrillus lib. i thesauri, cap. viii: « Non ideo, inquit, Pater generat, quia vult generare. » Et Concilium Tolitanum in confessione fidei: « Voluntas, inquit, sapientiam genitam non prævenit. » Et Hilarius in libro de Synodis: « Omnibus, inquit, creaturis substantiam Dei voluntas attulit, sed naturam dedit Filio ex impassibili, et non data substantia perfecta nativitas. » Hi enim patres contra Arianos dicentes Filium voluntate Patris fuisse productum, ut inde creaturam esse colligerent, si ex voluntate tamquam ex causa procederet, negant generationem Filii ex voluntate emanare non tamen negant voluntatis divinæ objectum fuisse id quod generatione naturali ortum est.

VI. Alia sententia tenet, nullo modo præcedere voluntatem generandi Filium ipsam generationem, neque origine, neque natura, sed postquam genitus est Filius complacere, et gaudere de illa, sed hunc amorem esse communem toti Trinitati. Ita Suarez, Vasquez, Navarrete supra relati, et alii qui ipsos sequuntur. Et videtur etiam convenire Ruiz, ubi supra probans quod ante generationem Verbi, non potest præcedere actus voluntatis ex parte principii productivi, sed tamen sectione II, numero XIV concedit ex eo quod Filius procedit ex cognitione omnium attributorum Dei recte colligi præcedere prioritate quadam originis voluntatem generandi, ut principium per se generationis, quia tale attributum est commune totius Trinitatis. Hoc autem valde impugnat Alarcon tract. V de Trinitate, disp. VI, c. VIII, a num. III, quia in Deo non potest voluntas generandi per modum desiderii esse, et tamquam de re futura: desiderium enim imperfectionem importat, cum sit de re absentis: solum ergo est in Deo voluntas de generatione per modum rei præsentis, et jam habitæ, de qua est amor per modum gaudii; talis autem voluntas de generatione ut habitæ, non potest esse principium ipsius, ut procedat, et habeatur.

VII. Cæterum quia in favorem sententiæ Cajetani semper urget illa ratio, quod in illo priori originis, quo intelligitur Pater fecundus ad generandum, sed nondum productus Filius, intelligitur plene intelligens se, et Personas, cur ergo non poterit intelligi etiam volens, cum intelligatur etiam pro tunc habere voluntatem, et non otiosam, nec in actu primo, vel in potentia, sed in actu secundo, cum amore essentiali? Et ille amor habet pro objecto se, et Personas;

ideo tandem reducit p. Alarcon ubi supra suam sententiam ad duo puncta, scilicet quod solum neget dari amorem in Deo pro illo priori tamquam desiderium de re absentis, et futura, quia tale desiderium non potest poni per solam diversam prioritatem originis, vel naturæ, sed solum per ordinem ad prioritatem vel posterioritatem durationis, et realis absentis, quod omnino Deo repugnat. Unde infertur quod amor Dei circa notionales actus debet supponere illos, et subsequi ad illos. Et secundo, intendit Vasquez quod etiamsi daretur tale desiderium in prima Persona respectu generationis futuræ, adhuc non præcederet prioritate originis, et naturæ realis ipsam generationem, quia nec distinguitur ab illa, nec per se in quarto modo ad illam requiritur ex parte principii. Et in hoc etiam aliqui multam vim faciunt, quod non debeat præcedere amor de his notionalibus prioritate originis ipsa notionalia, quia inter essentialia, et actus notionales non est prioritas originis, sed solum est identitas, et simultas. Quod vero præcedat amor generationis ipsum actum notionalium eo modo quo essentia, et attributa dicuntur præcedere notionalia, non abnuat concedere Cajetanop. Alarcon ubi supra numero undecimo.

VIII. Non est tamen, quod multum immoremur in hac quæstione. Nam neque Cajetanus intendit ponere in Deo verum, et formale desiderium respectu generationis in Patre, aut futuritionem aliquam vel absentiam in Filio (qui hoc diceret nisi Arium sapiens) neque prioritatem aliquam originis inter essentialia, et notionalia conatur introducere, sed summam identitatem, et simultatem; sed cum hoc stat quod in illa prioritate originis in qua Pater intelligitur habens essentialiam fecundam ad generandum, intelligatur

tur quoque habere plenum, et perfectum intelligere suæ essentialis, et Personarum, et similiter essentialium amorem seu velle, non solum circa essentialiam, sed etiam circa Personas, et processiones: et hic amor non intelligitur prior generatione divina secundum aliquam prioritatem originis, sed secundum prioritatem, seu distinctionem rationis, eo modo quo dicimus essentialia esse priora in Deo notionalibus, quia illa communia sunt, hæc propria, et prius sunt communia quam propria. Non tamen inter ipsa essentialia, et hæc notionalia, est ordo aliquis, et prioritas originis, sed identitas, et simultas. Et in hoc sensu dixit D. Thomas esse concomitantem actum volendi generationem cum ipsa generatione, quia ea quæ essentialia, et absoluta sunt, identificantur, et communicantur notionalibus; et cum communicatur amor essentialis, non communicatur amor non habens objectum, sed illud attingens, et hoc non est sola essentia, sed etiam Personæ, et processiones: omnia enim quæ intra Deum sunt amore essentiali, et necessario amantur. Unde non est iste amor posterior actibus notionalibus, nec habent actus notionales aliquam prioritatem originis respectu amoris essentialis, cum essentialia non procedant ab ipsis, imo nec per modum objecti formalis præcedunt, quia objectum formale illius amoris est ipsa bonitas divina, et essentia, Personæ autem tamquam aliquid identificatum illi, quæ habent eandem bonitatem identice, et concomitanter. Necesse est autem ponere hunc amorem essentialium etiam circa Personas, et processiones earum in illo priori antequam intelligatur generatio procedere, quia sicut præcedit pro illo priori intelligere essentialia in Patre, quia ex intelligentia sua producit Ver-

bum, ita et velle, seu amor qui immediate sequitur ad intelligere: nec enim iste amor essentialis convenit Deo post notionalia, vel dependenter ab actibus notionalibus, sed cum ipsa essentia, et voluntate semper intelligitur amor in actu, quia voluntas non est in actu primo, sed in actu secundo essentiali; et sic communicatur a Patre ipsi Filio: ergo non est posterior actibus notionalibus, sed antecedit. Quod si antecedit actus: ergo etiam attingentia ejus erga objectum, quia amor sine objecto non est, et amor perfectissimus, ut est ille, et infinitus, non habet pro illo signo unum objectum, et postea addit aliud, sed pro illo signo totum objectum suum attingit. Inter objecta autem, unum est ipsæ Personæ, et processiones earum: ergo amantur a Deo, etiam antequam produci intelligantur.

IX. Unde solvitur ratio dubitandi pro opposita parte: dicimus enim quod amor sequitur cognitionem, sed amor essentialis cognitionem essentialem; et pro eo signo quo intelligitur cognitio essentialis in Deo, sive in hoc Deo absolute sumpto, sive in Patre, hoc ipso datur velle, seu amor essentialis, etiam nondum intellecta processione notionali. Et cum dicitur, quod hoc ipso quo datur cognitio in Deo, datur generatio, seu expressio Verbi, respondetur quod hoc ipso quo datur in Deo cum fecunditate, et relatione Patris datur expressio Verbi: non hoc ipso quo intelligitur in Deo quoad essentialia præcise; sed pro illo signo intelligitur cognitio essentialis, et amor essentialis, et nondum intelligitur expressio, seu notionalis processio quia essentialia sunt priora pro aliquo signo notionalibus. Et tunc licet in Deo intelligatur amor, seu volitio generationis, non tamen hic Deus vult illam, ut in se, absolute, sed ut in Patre, si-

cut nec Filius, et Spiritus sanctus volunt eam sibi: id enim est impossibile, sed volunt illam Patri.

Ad confirmationem patet ex dictis, quod actus amoris non habet præcedentiam, aut prioritatem originis respectu generationis Filii, sicut nec respectu Patris, habet tamen prioritatem intelligentiæ, sicut omnia essentialia, et absoluta præcedunt notionalia, et relativa, et sic amor essentialis nostro modo intelligendi præcedit generationem Filii, quam amat. Et cum dicitur quod ille actus non tendit in Filium, et Spiritum sanctum ut futuros, vel possibles, nec per modum desiderii, respondetur ibi non dari desiderium formaliter, et cum imperfectione futuritionis, vel absentiae objecti: hæc enim pertinent ad prioritates durationis, et existentiae, in quo nullam habet antecedentiam ille actus, sed summam simultatem, et identitatem, sed solum invenitur ibi prioritas, seu distinctio rationis. Nec Cajetanus posuit ibi actum desiderii, licet explicaverit exemplo desiderii in nobis, quod potest voluntas antecedens objectum prioritatem rationis, dici ex parte nostra concomitans. Cæterum in Deo formale desiderium non datur, sed ille actus in se est gaudii, et delectationis de processione, quia ad hoc sufficit quod in re processio existens, et præsens sit, et nullum sit instans in re, quo non attingatur illud objectum ut præsens; sed tamen non oportet quod pro omni signo prioritatis, et præcisionis intelligatur ille actus sub formalitate, et denominatione gaudii de re illa considerata, ut jam producta, licet in se gaudium sit, sed in illa præcisione, et signo consideratur illud quod est gaudium de re præsentis sub formalitate, et denominatione amoris, non gaudii; sed nec etiam est ille actus, prout sic desiderii, quia licet non explicetur

tur circa præsens ut præsens, non tamen explicatur circa futurum ut futurum, quod requiritur ad rationem desiderii, quia ibi futuritio non est, sed præscindit prout ibi a futuro, vel præsentis, et solum attingit bonitatem ut in se, quod amoris est. Vide, quæ diximus supra circa quæstionem XIX, disp. VII, agendo de actu amoris divini.

X. Secundo, dubitari potest, an processio Spiritus sancti possit dici libera, vel solum procedat a voluntate, ut natura. Sed in hac parte controversia, quæ est cum Scoto, solum potest esse de modo loquendi: nam in re nullus dicere potest, quod illa processio sit libera in hoc sensu quod possit esse contingens, et non dari talem processionem. Et quidem Scotus in I, dist. X, qu. I, et quodlib. XVI, art. II, cum vult processionem Spiritus sancti esse liberam, non sumit liberum ut opponitur necessario, quin potius fatetur processionem illam esse necessariam: cum enim Spiritus sanctus vere sit Deus et hoc communicetur illi per suam processionem, non potest esse libere productus, prout liberum opponitur necessario, sed est ens necessarium, quia est Deus. Solum ergo sumit Scotus liberum prout opponitur coacto, vel prout opponitur naturali inanimato: constat enim illam processionem esse a voluntate, non solum non violenta, vel coacta, sed toto impetu, et pondere voluntatis: sed tamen est a voluntate, ut naturaliter, seu necessario volente necessitate, quæ oritur ex plenitudine voluntatis, et infinitate bonitatis objecti. Et talis necessitas est perfectior libertate, quæ supponit aliquam limitationem in objecto, quatenus ab illo non adæquatur voluntas. Unde quando dicit D. Thomas in hac quæstione XLI, art. II, quod illa processio est a voluntate ut natura, non sumit naturam pro appetitu innato,

et non elicto, seu appetitu inani, sed pro appetitu elicto, licet non arbitrarie, et contingenter, sed cum plena necessitate, et adæquatione: voluntas enim etiam habet suam naturam, et naturaliter elicitive fertur in aliqua, tum necessitate quoad specificationem, tum quoad exercitium, ut circa Deum clare visum. De quo latius dici solet infra q. LXXXII et XII, q. IX, et nos dicimus in libris de anima, q. XII.

ARTICULUS III.

Quid sit potentia generativa, et spirativa in Deo?

I. Nomine potentiae intelligimus principium quo producendi Personas: sicut enim constat dari in Deo Personas producentes a quibus aliae procedunt, et ipsæ Personæ sic producentes se habent ut principium quod producendi, ita oportet assignare principium quo, nostro modo intelligendi, eo modo quo datur in Deo potentia creativa, quo creat, quæ non consideratur ut principium quod, seu ut Persona producens, sed ut attributum per modum virtutis; quia ipse Deus creat, tamquam principio quo: ergo similiter debet dari in Deo potentia generativa, et spirativa, qua tamquam virtute producat Persona. Immerito autem negarunt hanc potentiam Aureolus in I, dist. VII, qu. I, art. II, et idem tribuitur Gregorio super eandem distinctionem, qu. II, art. II, ea ratione ducti, quia in Deo non datur realis actio distincta a potentia: ergo non est realis potentia. Unde dixit Gregorius dari in Deo potentiam veram, et realem respectu Personæ productæ, non respectu actus producendi. Quod si hoc solum voluit, non dissentimus: reve-

ra enim D. Thomas fatetur dari in Deo principium reale respectu rei procedentis, quæ distincta est a principio quod, non vero dari principium respectu actus, nisi secundum rationem, ut affirmat in hac quæstione XLI, art. IV ad III, et supra qu. XXV, art. I ad III, et nos tractavimus supra disp. XI. Unde ratio Aureoli solum convincit non dari in Deo potentiam, seu principium quo distinctum ab actione, et realiter oppositam ipsi actui, sed identificatam cum illo. Cæterum absolute negare potentiam, etiam indistinctam ab actione, omnino falsum est, et aliqui censent esse temerarium, cum sit contra omnes scholasticos, imo et errori proximum: nam salva fide negari non potest Filium realiter procedere a Patre, sed nihil potest realiter procedere ab alio, nisi possit ab illo procedere, et posse procedere, et habere potentiam per quam procedat idem est: ergo si procedit a Patre, potentia est in Patre, ut procedat. Unde et in Concilio Florentino, sess. XVIII et XIX, sæpius repetitur in Patre esse principium generativum quo Filium generat, licet verum sit, quod in illis sessionibus Concilium non procedat diffinitive, sed disputative.

II. Difficultas est, quid sit hæc potentia, an aliquid absolutum vel relativum. Nam ex una parte videtur esse relativum, si quidem non est communis omnibus tribus Personis, Filius enim, et Spiritus sanctus non possunt generare. Unde dicit Damascenus libro de duabus Christi voluntatibus: « Omnia quæ habet Pater Filii sunt, sola gignendi vi excepta. » Vis ergo generativa non est in Filio, sed quidquid absolutum et essentialia est in Deo, communicatur Filio: ergo potentia generativa non est aliquid absolutum. Et secundo, quia potentia productiva